

9
12

JOSEPHI LOMBERG,

MAJORIS ARCHIDIACONALIS ECCLESIAE BONNENSIS
CANONICI CAPITULARIS.

In hac alma Electorali Maximilianeum Academia Bonnensi Juris Naturae & Gentium,
ac publici Romano-germanici atque Historiarum Professoris
publici & ordinarii.

PROGRAMMA

DE

PRÆSTANTIA,

VITILITATE AC NECESSITATE
REGIÆ JURISPRUDENTIÆ PUBLICÆ,

QUANDÒ

SUB EMINENTISSIMIS AUSPICIIS

ANNUENTE

EXCELLENTISSIMO & MAGNIFICENTISSIMO
D. D. CANCELLARIO ACADEMICO

QUOTIDIANAS PRÆLECTIONES PUBLICAS

INDICIT

ad Diem 17. Novembris. MDCCCLXXVII.

BONNÆ, in Typographia Academicæ-Aulica,

Dissert. 105(9)



EMINENTISSIMO.

ARCHIPRINCIPI METROPOLITAE ELECTORI
COLONIENSUM MONASTERIENSUM IMPERANT L.
WESTPHALIORUM ANGARIORUM DUCI.
SACRI ROMANI IMPERII.
PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO.
SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE.
LEGATO NATO.

AUGUSTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS INAUGURATORI.
PRINCIPI INCLUTISSIMO.
NOMINE OMINE.

MAXIMILIANO FRIDERICO.

MAXIMO PACIFICO.
SERENISSIMI CLEMENTIS AUGUSTI.
AUGUSTO SUCCESSORI.
INDOLE VIRTUTE GENIO.
SERENISSIMO CLEMENTISSIMO AUGUSTISSIMO.
PATRI PATRIAEC.
OPTIMO PIO FELICI.
SUPERIS HOMINIBUS DILECTO.
ALMAE APUD BONNENSES ACADEMIAE.
INSTRAUTORI MUNIFICENTISSIMO.
LITERARUM LITERATORUM.
GLORIAE DELICIO MOECENATI.
EXSULIS AUREAE AETATIS.
VINDICI STATORI.
REGENTI NON TAM CIVITATUM.
QUAM CIVIUM CORDIUM.
POTENTISSIMO INVINCIBILI.
HANCCE AMORIS OBSERVANTIAE GRATITUDINIS.
TESSERAM PONT DICAT.

SERVORUM INFIMUS.



PROGRAMMA

DE

*Præstantia, Utilitate, ac Necessitate
Regiae Jurisprudentiae Publicæ.*

§. I.

*Qu*um Instituti nostri sit, ut JURIS PUBLICI cùm universalis cùm Generum, tùm particularis Romano-germanici COLLEGIA ACADEMICA quarto jàm anno indiès continuanda nunc proximè aperiamus, *D.D. Commilitones omnium ordinum honoratissimi* inficias haùd iverint, normæ atque adeò operæ pretium esse, quatenus de Dignitate ac Præstantiâ REGIÆ HUJUS SCIENTIÆ, cùm ejusdem Prærogativa, Utilitate atque adeò Necessitate præliminariò non nulla disseramus. Præstat nàmque Humanitatis ac devotioris Respectus Gratiâ erga EXCELLENTISSIMAM SCIENTIAM, pauca præmittere in Laudem ejus atque Decorem, ad quam à primo limine salutandam mox invicem conveniemus.

§. II.

*E*nimverò ad Præstantiam AMPLISSIMI HUJUS STUDII, Dignitatem & Prærogativam quod attinet, vno eam intuitu statim perlustrare poterimus, modò Discriben inter hoc nostrum JUS PUBLICUM & inter Jus qualecunque PRIVATUM sive sacrum, sive civile paulò penitiùs inspiciamus: quan-

quantum nāmque HEC JURA differunt ab illo, tantum atque altius hoc illis superēminere adparebit; eō inquam JURISPRUDENTIA PUBLICA dignior est atque præstantior JURISPRUDENTIA PRIVATA, quō magis vna ab alterā discrepat: Hec verò Differentia primariò consistit in eo, quod JUS qualecunque PRIVATUM sive ecclesiasticum sive civile, Negotia, Vtilitatem, ac jura concernat privatorum Reipublicæ civium, ac vel Ecclesiæ sociorum, JUS PUBLICUM autem circā negotia, felicitatem, jura atque tranquillitatem integrarum Gentium ac Rerumpublicarum, summorumque Imperantium, quæque IMPERIUM inter & SACERDOTIUM collidunt, primariò versetur: vnde nostrum JUS PUBLICUM tām vniuersale quam particolare Romano germanicum quā tale latius patet ac ipsum Jus ecclesiasticum publicum quā tale, id quod veluti partem vel eō magis necessariam sub se comprehendit, quō magis REIPUBLICÆ interest, noscere JURA ECCLESIE, eaque intra justos limites ita dimetiri, ut Concordia SACERDOTIUM inter & IMPERIUM vel collapsa restituatur, vel restituta perpetuò fortiterque tueatur.

§. III.

V VOC nostrum itaque JUS PUBLICUM, ratione dignioris objecti circa quod principaliter versatur, adeò ex natura sua dignius atque præstantius est qualicunque JURE PRIVATO, quod, vt non ligat nisi vnicè Privatos, ita illud ipsos stringit summos Imperantes, atque intra officiorum suorum limites co-eràt; Quemadmodū enim JUS NATURE & GENTIUM æque ac CONCORDATA NO-TRE NATIONIS GERMANICÆ CUM ROMANA SEDE INITA ipsum fine dubio stringunt SUMMUM IMPERANTEM ECCLESIASTICUM, sic RECES-SIBUS IMPERII, CAPITULATIONIBUS, cæterisque LEGIBUS hujusmodi FUN-DAMENTALIBUS ipsum quoque AUGUSTISSIMUM IMPERATOREM absolure obligari in Aprico est: quid quod JUS PUBLICUM omnium fons sit reliquorum Juriuum, quippe quæ ex illo primā in CIVITATES promanarunt & sine hujus executrice manu prorsùs inutilia forent, sine effectu, & viribus destituta; vnde ea est primordialis nostri JURIS PUBLICI ratio atque indoles, ut non tantum vniuersæ Civitati Securitas, sed etiam privatorum Civium jus cuique suum rite tribuitur, cuius scilicet rei fine in introducio & stabilito JURE PRI-VATO jām primā attigit.

§. IV.

Ex quibus porrò evidenter adparet, JUS PUBLICUM esse, quod integras conservat Republicas, salutem iis felicitatem atque securitatem tribuit, quod Gentium ac Populorum iuribus invigilat, de eorum nexu ac mutuis obligationibus disponit, de Pactis & Fœderibus, Pace Belloque agit: quid quod summa-

con-

constituit Terrarum Imperia, proportionatam *Principibus Auctoritatem* largitur, ac Majestatem confirmat: mutua *Dominorum Subditorumque officia* praedicit, ac jura tuerit: quod ipsum denique D. JUSTINIANUM nostrum quasi ex Oraculo enunciare docuit “ *Imperatoriam Majestatem non solum Armis decoratam, sed & Legibus oportere esse armatam, ut utrumque tempus & Bellorum & Pacis recte possit gubernari, & summus Imperans non solum in hostilibus Præliis Victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniarum iniurias expellat, & fiat tam juris religiosissimus, quam vicis Hostibus Triumpbator magnificus.* ”

§. V.

Videtur certè nostrum hocce JUS PUBLICUM ferè divinum ex summo Cælo in hanc Terram descendisse, ut eo quasi OMNIPOTENTIS digito integerimus hic Terrarum Orbis omni ex parte ritè gubernetur. Atque hæc sunt, quæ primùm proferre vistum fuit in medium de Præstantia JURIS PUBLICI ceū Dignitate ejus ac Prærogativâ, non tantum JURE PRIVATO, sed & PULCHERRIMIS SCIENTIIS aliis ferè omnibus eminentiori; Quibus præsuppositis nemo facilè pulcherrimarum Scientiarum Amans inficias iverit, operæ pretium esse, ut Studia nostra PRÆSTANTISSIMÆ HUIC SCIENTIE, ceū REGIÆ JURIS-PRUDENTIÆ PUBLICÆ singulari quādam Sedulitate consecremus; Sit igitur STUDII HUJUS PRÆSTANTIA nostræ Ambitionis stimulus! Ambitio nāmque probè semel nobiliterque excitata probatissimum est incitamentum ad Herculeos etiā Labores maecto animo subeundos; Quò autem otiosa forsan Ambitio mediante hāc jām adsignata & ab objectis quasi ex visceribus depromtā EXCELLENTISSIMI hujs Studii PRÆSTANTIA nos trahere non poterit, eò nos graviori UTILITATIS ratione, si non rapi, saltim facili manu deduci patiamur.

§. VI.

Hæc verò Utitas ceū Commodum illud ex JURISPRUDENTIA PUBLICA in Subjectum ejus redundans, tantum non rarò fortunam nostram adficere, quantum Gloriam multorum ac Statū Conditionem illustrare adsuevit: Quippe plus certò meretur, qui toti REIPUBLICÆ, quām qui privato CIVI servit & prodest, idque strictè exigente Justitiâ: sic profectò plus eum fortune atque existimationis exspectabit, qui primariò SUMMIS RERUMPUBLICARUM MODERATORIBUS, quām qui privatis eorum SUBDITIS ope & consilio aderit; id quod Experientia nobis quotidiana sat comprobat, & ubi res ipsæ testantur, non opus est verbis; Quare progrediamur paululum ad Aulas REGUM ac PRIN-

CIRUM, si placeat, & videbimus ad latera IMPERANTUM primarios eorum *Ministros, REGNORUM GENTIUMQUE Legatos, REGIMINIS Cancellarios, Referendarios, & STATÙS Secretarios intimos*, SUMMORUM IMPERII TRIBUNALIUM *Judices & Adseffores, DICASTERIORUM Præsides, Directores atque Consiliarios*, Viros omnium Ordinum excellentissimos, hoc JURISPRUDENTIAE PUBLICÆ Regio Charactere insignitos, omnes cum proportione *Patres Populi que Protectores, Lumina Patriæ, fulcra Civitatis*, atque ipsius Majestatis Radios.

§. VII.

Spectaculum d. d. *Commilitones!* nobilis vestræ Ambitionis, zelosissimæque Æmulationis elignum! neque enim crediderim aliquem, tam parùm Laudis, Fortunæ, Existimationis, propriæque Virtutatis suæ cupidum, qui PULCHERRIMAM HANC JURIS PUBLICI SCIENTIAM in claram hanc lucem modò editam non vtrâque manu amplecti voluerit; At velim caveatis, ne fortè cadatis animo, spe destituti, eò tandem aliquandò perveniendi, quò ex doctissimorum Virorum millibus vix unus quandòque pervenit; sed nescitis fortè vires vestros, sub tenero Adolescentiæ adhuc flore latentes, scitis tamen, ex parvo seminis grano maximam sensim Arborem quandòque excrescere, scitis, quod omnia vincat amor, atque Audaces *Fortuna* juvare adsueverit. — Evidem non infior, germanicarum ubique Terrarum egregios dari *Civilistas*, amplissimamque *Advocatorum* turmam, multis in Locis diminuendam potius quam augendam: at verò PUBLICISTÆ sunt rariores, augete in *vestrum* aliquandò ac *Reipublicæ* Commodum eorum Numerum nimis exiguum! & si fortè unicum ex d. d. meis *Commilitonibus* eò converterim, id operaæ pretium esto.

§. VIII.

Verò JURISPRUDENTIA PUBLICA non *utilis* tantum, sed in nostro præsertim IMPERIO vel eò magis est *necessaria*, quò magis anomala & latius extensa est *Civitatis Romano-germanicæ* forma: sua quippe sunt jura specialia *Imperatori & Statibus*, alia *ecclesiasticis*, alia *secularibus* partim *catolicis*, partim *Augustanæ Confessioni* addictis, hæc *Electoribus*, illa *Principibus* tūm novis, tūm antiquis, alia *Comitibus* ac *Prælatis*, alia *Civitatibus*, alia diversis diversorum *Territoriorum Dominis*; sua porrò sunt jura specialia *Nobilitati immediatae* atque *Ordini Equestri*, sua demùm *Sacerdotio*, & sua *Imperio*, ut adeò nullibi magis intersit, hanc *Regiam Jurisprudentiæ Partem* novisse, idque vel eò magis, quò exactius ad ipsam Imperii Conservationem primariò oportet attendere, ne dūm *Cæsari*, summove Pontifici quid

tribuimus, in Jura *Reipublicæ* aut *sacræ*, aut *civilis* impingamus, *Ordinum* libertatem vel nimirū extendamus, aut nimirū restringamus, sed ut sua cujusque jura intra justos Limites caute dimetiamur.

§. IX.

Vmmò hæc JURIS PUBLICI SCIENTIA in nostro *Imperio* inde eò adhuc magis requiritur, quò plures diversæ in eodem vident *Religiones*, quibus per *Jus Publicum* cùm termini, tūm cætera sua jura definiuntur, id quod circà hanc præprimis materiam valdè intricataam, ad evitandas plurimas inde emergi solitas turbationes, vel maximè fuerit novisse. Vnde ipsam infiniti ferè ac deliciatissimi hujus STUDII Necessitatem uno quasi verbo comprobaverimus, modò parùmper consideratiūs advertere libuerit ad ipsum hocce, tantum non disperatum Opus, in quo *Jura Imperialis Advocatiæ à Juribus Pontificiis* tam essentia-libus quam accidentalibus, *Pontifica* ab *Episcopalibus*, hæc à *Metropoliticis*, *Majestatica & Cæsari* reservata à juribus *Majestatis Æmulis*, ab Ecclesiasticis & Spiritualibus, *secularia*: *Territorialia à Diœcesanis*: *Catholica à Protestanticis*: *Transuentia* ab immanentibus, aliaque ab aliis cautiū separanda, suā tamen *Harmoniā* eò minus veniunt destituenda, quò firmius utriusque & HIERARCHIE & MONARCHIE Præsidium est ipsa Sacerdotii & IMPERII, eorundemque ejusdem *Reipublicæ Civium CONCORDIA*." Rideant ergò Extranei rerum nostri *Imperii* publicarum imperiti nostram in excolendo JURE PUBLICO curam atque sollicitudinem: imprudentiæ illos arguent ex propriis Patriotis illi, quibus vel minima NEGOTIA PUBLICA in nostro *Imperio* unquam pertractare contigit, aut continget adhuc, qui Notitiam *Reipublicæ Romano-germanicæ*, sive in *Academiis* neglectam, sive alias nullā eandem adquirendi occasione datā ne minimè prælibatam, ferreo labore, cove nimis sero comparare debuisse, uno ore profitebuntur. Id quod hic adeò opportunum forsan haud inconcinnè hinc visum fuit repetendum ex nostrâ DISSERT. de Prolegomenis *Juris publici* & d. 13*tiā Martii* h. a. editâ. C. 3.
§. I.

§. X.

Vaùd itaque patiamini, d. d. A.A. Talenta vestra perpetuò hærere & humili serpere in vnā semper eademque JURIUM PRIVATORUM Clæsse! credite mihi, hisce præsertim temporibus non æque ac ante obscuris, & quæ sicuti mediocria fastidunt, ita excellentiora amant, ad altiora vocati estis! Evidem Collegia Institutionum atque Pandectarum Molendina sunt bannalia, quæ certi Panis

Panis aliquandò lucrandi causa absolutè frequentari debent, & rectè maximà ab omnibus sedulitate frequentantur: ast quām turpe aliquandò ac triste erit, sortè in ipso Consiliariorum Circulo spectatissimi alicujus Dicasterii mutus adsedere, & parùm aut nihil in PUBLICIS rescire, quæ hodiè tamen haud æquè ac olim ad Vniversitates, exteroseve Professores tantis sumtibus transmittuntur decidenda. Hæc quippe hodierna est germanicæ Eruditionis Gloria, ut quodlibet Territorium Cives germinet, nullatenus ut olim in Israël Peregrinos; Vnde PERICLES refert, Jurisprudentiam publicam ATHENIS ità omnibus fuisse familiarem, ut minimi adeò vilissimique Opifices eadem nullatenus instructi, tanquam inutilia Republicæ membra fuerint despecti.

§. XI.

Pergite ergò dd. AA non sine maximà sedulitate, singula sensim privata frequentare Jura canonica, civilia, feudalia, criminalia; quatenus pulcherrima hæc Studia non tantum præ cæteris utilia, sed vel maximè sunt immè absolutè necessaria: ast in iisdem frequentandis ità pergit, ne publica quotidiana negligatis Collegia Juris Gentium & publici sacri atque politici, feudalis Imperii, Principum criminalis, atque Historiarum Reipublicæ Romano-germanicæ, quatenus divino auxiliante Scientiarum Auctore, præstantissima hæc Studia, præter judiciariam Imperii Praxin, sub vnâ comprehendantur, sensimque proponantur JURIS PUBLICI Doctrinæ. — Nulli proinde dubitamus, quin singuli saltim dd. Pandectistæ hanc sibi JURISPRUDENTIAM PUBLICAM ob singularem hujus Studii Dignitatem, Utilitatem, tantamque Necessitatem certò sedulòque sint vindicaturi: quid quod adeò dd. Institutistas indecorum sibi ducere crediderim, vnico vnius horæ Collegio ac vel Repetitorio adquiescere, cæterasque plurimas diei horas otio perdere, loco quod pulcherrima Juris Naturæ & Gentium, Statusque germanicæ publici Principia, vnâ cum ejusdem Historiæ (idque vel citrè extraordinariam quandam adlicationem) primo saltim anno per Horam indiès simpliciter auscultando, hæc quidem ratione possint prælibare, ut altero demùm anno haud planè vacui magisque præparati accedentes uberiorem ex Jure publico fructum valeant percipere. Atque hæc velim perpendatis vobiscum, dd. Commitiones honoratissimi! Quod si sortè nec Studii hujus Præstantia, neque Utilitatis, atque adeò Necessitatis ratio vnum vel alterum mouere potuerit, moveatur saltim hoc purissimo motivo, quod inspirare solet ratio BONI VIRI, qui scilicet officio sibi dicit atque decori, totum se quantum Reipublicæ ceu Patriæ consecrandi.

§. XII.

§. XII.

Uhabent denuò, cur MOECENATEM sibi munificentissimum in Eminentissimo
PRINCIPE ELECTORE nostro gratulentur omnis generis tūm Literæ,
tūm Literati: Studio videlicet ILLE non hæreditario sed proprio, cæteras inter
regendarum Provinciarum curas, illam habent præcipuam, ut Scientiæ
suis in Terris omnes quām pulcherrimè efflorescant. Hâc vnâ profecto inci-
tatus sollicitudine constituit me PRINCEPS clementissimus, ut & ego sat fre-
quentaris nostrâ Agrippinensi & Cæsareâ Vindobonensi Universitatibus, ad
Lares redux, opellam, si qua fuit, meam ad tanti negotium momenti, in
alma hâc apud Bonnenses Academiâ haec tenus contulerim, quotidianis quarto
jâm anno Prælectionibus publicis consummandam. Illud nunc meum, sub-
jectissimi servi, eile intelligo, ut quo minùs in me desideretur ad hanc rem
aliquid, totis viribus, omnique conatu enitar. Nihil equidem, ad ea, quæ
in me sunt, præstanta omnia, accendere me efficacius potest, quām ipsum
hoc Eminentissimi Principis Imperium: ut tamen fatear, quod res est, Man-
dato huic obsequor lubentiùs, quod indè mihi opportunior ènascitur occasio à
me nunquam non expedita ardentius, Bono inserviendi Publico, Viamque Vobis,
D. D. omnium ordinum honoratissimi Committentes! ad altiora quæque in
Republica Munera, felicem ac facilem sternendi.

§. XIII.

In Prælectionibus autem meis eam servabo Methodum, quam recensio-
rem vocamus Academicam, in Dissertatione mē de Prolegomenis
Juris publici, supra cit. satis demonstratam, atque in ipso nostro Institutio-
num publicarum Compendio, octo Exercitationibus absoluto, jâm propè con-
summataam.


Restat, ut pro Coronide semel adhuc vos alloquar, Jurisprudentiæ pub-
licæ Cultores æstumatissimi! maximoque opere excellentissimum id vobis Stu-
dium commendem, in quo non vana & inania, non difficiles nugæ, neque
ea, quæ in spem futuræ oblivionis addiscuntur, sed honesta, amœna, digna
viris atque ponderosiora, maximè utilia, immò quod hucusque demonstra-
vimus, absolutè necessaria proponuntur. Nolite, Committentes strenui!
nolite aures dare otiosis Rabularum sermonibus, cuius ignavi Pecoris vestigia
ne premite! fugite malè feriotorum exempla, atque quo cœpistis germano-
pede, alacriter pergit! Gratulor vobis, quod hanc in fortunatam incideritis
Ætatem, quâ discussis tandem ignorantiae tenebris ea nunc tempora vivimus,
quæ antiqua Jura restaurantur, & quod justitia postulat, suum cuique red-
datur:

ditur: *Reges* benè sapienterque imperant *Civitatibus*, procurant Subditorum suorum felicitatem, sunt *Principes* Divinæ justitiæ ministri, tanquam *Deo* reddituri rationem: *Ecclesiæ Praesules* pascunt gregem dominicum Doctrinâ & Sacramentis, non quærunt quæ sua sunt, sed quæ *Iesu Christi*, id est, salutem animarum: rogant, hortantur, suadent, decernunt, & si opus fuerit, armis etiàm nec tamen nisi spiritualibus pugnant, & puniunt. Atque hâc tandem ratione (sint Numini laudes æternæ) remoto quovis obice, tâm planâ, tâm facili, & expeditâ viâ ad perfectam *Regii Juris publici & Sacri & politici* scientiam vobis aditus datur.

§. XIV.

*A*tque hæc demùm funto, quæ per modum *Prolusionis academicæ*, instantibus nostris *Prælectionibus publicis* quarto jâm anno indiès continuandis præmittenda esse, nobis visa fuere, quēis adhuc addimus præclarissimi *Jos. Ant. Rieggeri* monita præclarissima ex ejusd. *Opusc. ad Hist. & Juris-prud. ed. Frib. Brisgov. 1773.* p. 378. “discite venerari, discite amare, & præ omnibus rebus humanis suscipere Religionem, veram illam atque unicam salutis & felicitatis æternæ magistrum: nolite tamen esse immemores Patriæ, quæ *Lucis* hujus primam vobis usuram concessit, spirare aërem dedit, suoque vos hacenüs in sinu fovit: rem verbo: altè infigite animis vestris commune illud: *Cuique suum.*” Sic utique respondebitis votis atque expectationi suavissimorum Parentum atque Amicorum vestrorum, quam de vobis maximam concepere: Vobismetipsis autem non exiguum nominis vestri famæque gloriam comparabitis, vtiles aliquando Cives *Reipublicæ* tâm *sacræ* quâm *civilis* evasuri.





TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

